

O! qui non redeant lapsi feliciter anni,
 Quos animus revocare volens e temporis urna,
 Ostendit lacrymas oculis, risumque vicissim.
 Gaudia qui gustant, quae sunt Academica, norunt,
 Non omnes vero norunt sua munera quae sunt.
 Qui studiis incumbunt *Studiosi* nomen adepti,
 Et perfuncti opera nervos arcumque relaxant,
 Perdita non retrospectant ad tempora tristes,
 Sed laeti memorare solent juvenilibus acta,
 Quot sint impensae libris, quot lusibus horae.

Accidit humano nulli sincera voluptas:
 Non raro dulces turbat discordia cantus,
 Sol tegit interdum densa se splendor umbra,
 Et rosa sub foliis spinam pulcherrima celat.
 Me juvat istorum quancumque meminisse dierum,
 Quando inter socios extolli laudibus ardens
 Praeripere et palmam studii: tamen opprimit angor,
 Me, quoties cari vultus, ut spectra revisunt.
 O! juvenes et amici quonam abiere? fruuntur
 Sunt qui fama et honore diuque fruuntur amati.
 Longo praesentes alios sermone rogavi
 De rebus jamdudum, meque absente, peractis.
 Spes mihi spectandi est alios, modo vita supersit.
 Nonnulli in tumulis defuncti morte quiescunt,
 Ad quorum cineres veniunt plorantque propinqui.
 Convicti quidam simul aspectuque remoti
 Eheu! a patria procul invenere sepulera.
 Aut maris immersi jactantur fluctibus imis.
 Frater (quod nomen mecum tibi convenit apte)
Trimingham infelix scribo dum flebile fatum,
 Ut prius aspicio formam, faciemque virilem.
 Vox toties audita mihi quoque percutit aures.
 Nos studium conjunxit idem, nos cultus iisdem
 Publicis officiis, regio contermina ruris
 Arcius astrictis vinclis nos vinxit amoris,
 O! utinam non me vivo disrupta fuissent.